

Perill/ris et R/me D/ne.

2065

Accepi duas epistolas ab R/ma Dom.Vestra una die, id est prima
Januarii anni 1619, quarum prior data erat, quarta die octobris,
posterior die vigesima tertia Novembris anni superioris. Hoc prae-
5 mittendum esse putavi, ne R/ma D.V. me negligentiae accusaret in
responsione reddenda. Quod Pater Herennius R/mae D.V. significa-
vit, me bene affectum esse erga Belgium, verissimum est. Amor enim
amorem conciliat, et ego per integrum septennium in Belgio versa-
tus, non solum a Patribus Societatis, sed etiam ab externis tum
10 in aede sacra conciones habens, tum in schola theologica docens,
libenter, et amanter semper auditus fui. Sed his omissis, legi ut-
ramque epistolam D.V. et miratus sum, inimicum hominem tantum potu-
isse in zizaniis seminandis in agro Dominico; ut etiam fratres a
Patre suo alienare conatus sit. Et si Dominus Cornelius Montman-
15 nus ad me venisset, continuo me ad negotium tam sanctum accinxis-
sem: sed is nondum ad me venit, nec scio ubi habitet, nam si pos-
sem divinare ubi sit, ego ipse illum vocarem, sed cum primum ad me
venerit, non patiar, ut D.V. officium meum desideret. Interim pre-
cor a Deo D.V. hunc annum felicissimum, et sanctis precibus ejus
20 me ipse commendo. Datum xRomae die 5/a Januarii 1619.

Archiv.Vatic.Gesuiti 22 epist.CXCVIII

*Jan 1619 Dedicatio libri de officio Principis
Wladislaw futuro Regi Poloniar
cf. Prof. Libri
supra et
pag 2080*